

differentiam hanc, et eius causam reticent, reliquorum dogmata suo præferimus. Videntur enim omnes, causam aliquam afferre voluisse, omnesque ab ipsiusmet Luna apparentiis variis, eam videntur depropnsisse. Sunt enim in Luna, partes obscuræ, ut terra est, et nubes, et caligo. Sunt et aliæ lucentes ad ignis instar, et opacæ utræque, et lumini solari nullum transitum concedentes. Quæ res in solari eclipsi perquam fit manifestum. Est ergo Luna sine dubio toto corpore opaca, et minime diaphana, opacitate autem, ut appareat, non uniformi, sed varia, tota tamen nulli lumini pervia. Mirabilibus enim modis, in propriis eclipsibus, in horas variat colores. Nam si primo vespere deficiat, veluti carbo leviter accensus principio visitur. Deinde horribiliter nigra per horas amplius tres, appareat. Si vero in medinocchio defectum patiatur, et subpuniceum et igneum quendam in pyropi speciem mittit colorem. Post vero horam seprimam, rubeum suscitat. Si vero sub auroram patitur, colorem emittit cyaneum, et glaucum. A quo Empedocles glaucopim eam appellavit. Cum vero in novilunio apparere incipit, ea parte qua non splendet, ostendit quidem circulare corpus, sed fulco quodam colore infectum. A qua die, in dies, color hic semper redditur obscurior, usque ad plenilunium. In quo nullus iam is appetet color, sed facies eius, fere tota splendet, præter eas quæ maculæ appellantur, quæ eius faciei, pars est, non parva. Ex quibus omnibus colligere licet primo, quod, ut dicebamus, sit opaca tota, et nulli pervia lumini. Secundo quod nullum proprium tota habeat colorem. Tertio quod per partes variis sit coloribus infecta. Quarto quod umbram et eam quidem obscuram satis pro opacitatis ratione, de se emitat, eamque in eclipsi Solis ad nos porrigit, non aliter ac terram, Sole Lunæ opposito, eam versus suam umbram iacit, eamque obscurat, sicuti eius umbra obscurat terram. Itaque hac umbræ obscuritate, et sui corporis opacitate, terræ est persimilis. Nec ei est dissimilis, duabus reliquis qualitatibus. Terra namque et ipsa, nullum proprium tota colorem habet. Et per partes habet varios, sicuti et Luna. Neque ullum dubium nobis est, si quis nostrum, in Lunam ascenderet, terramque inde prospectaret, eadem illi in terra apparitura, quæ nobis hinc in Luna apparent. Unde non immerito, Orpheus, Thales, et Heraclitus, et alii quos recensuimus, Lunam, alteram terram esse crediderunt. Et quam ideo Oecetes Pythagoreus, et Philolaus, non immerito, Antichthona vocaverunt, quasi terræ huic nostræ, terram alteram contrapositam. Quorum omnium sententiam Aristoteles, solitus veteres omnes acriter carpere, hac in re, vel sui moris immemor, vel animi maxime dubius, nec illos ausus est reprehendere, nec ipse aliquid de suo pronunciare, præter quam quod eam inter astra connumeravit. Astra autem quintæ illius essentiæ suæ, partes densiores esse tradidit. At nostra quidem sententia, tanto merito potest luna astrum nominari, quanto a veteribus quibusdam, terra quoque, astrum est nominata. Non enim hæc aliter in ære, ac Luna in æthere pendet. Non aliter ac Luna rotunda est. Non aliter ac Luna, et opaca est, et umbram usque ad Lunam iacit, sicuti et Luna, usque ad terram. Neque non et ipsa sicut Luna, et obscuras habet partes, et luminosas. Obscuras quidem omnes quæ ab aquis extant. Luminosas vero omnes, eas, quæ universo mari, lacubus, stagnis, fluminibusque operiuntur. Non enim minus aqua, superficie sua splendet a Solis lumine, quam splendeat pars ea Lunæ tota, quæ eius maculas, tum circundat, cum intercurrit. Id ei fiet clarissimum, qui maria alta naviget, et malum ascendat. Longe enim circumquaque maria splendescere circumspectabit. Idem cernet si quis situm ad mare montem, concenderit, longe lateque splendens pelagus, circumspiciet. Quam ob rem, non forte procul a vero fuerit, Lunæ globum, alterum esse terræ globum simul cum aqua tota conglobatum. Globum scilicet æthereum, sicuti hic nostras, globus est hylæus. Et quæ Lunæ pars, lumine Solis splendet, eam esse aquam ætheream alteram. Quæ gravitate sua non equidem ad nos cadit. Non enim centrum hoc, Lunæ est centrum; ad quod aqua illa tendit ita, sicuti nostra aqua ad centrum istud tendit, et partes similiter aliae lunaris terræ, sicuti partes terræ nostratis. Quid vero etiam mirum fuerit, si ibi sint, sicuti in terra nostra, planities, et montes, et convalles? Et in eis gentes tum hominum, tum aliorum animalium inhabitare? Quæ et maiore sint statura quam nostrata ut in puro æthere, et diutius etiam vitam producant. Et ibi